BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ

CORRESPONDANTS
DE
J.F. BOISSONADE

II
—
F-M

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
1552

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
1552

MS
Fiches faites

Correspondants
de
J. F. Boissonade

II

F. M

Ms 1552.

S 81

900

40e

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ
MS
Sorbonne

F. C. Matthiae Car. Franc. Boissonade,
Viro Celeberrimo, S. P. D.

Ego vero lubentissime obsequar Tuae, vir Celeberrime, & Lennepii voluntati. Verum est asservari in Bibliotheca ecclesiae nostrae cathedralis ad S. Bartholomaeum Codicem Ovidii membranaceum scriptum seculo, ut videtur, decimo tertio. Ejus ante hos tres quatuorve annos speciminis causâ varias lectiones, quae in duabus prioribus epistolis occurrebant, excerpsi: sed totus erit conferendus, antequam de ejus pretio certi quidquam statui possit. Heroidum epistolas cum majori Burmanniana editione conferam, atque adeo accuratius ero circa omnes literarum ductus & apices, ut Lennepius Codice ipso facile carere possit. Ceterum nolim existimes sive Tibi, sive Lennepio quidquam de operâ meâ aere redimendâ. Gratis enim, quod antiquitus obtinuit, faciendum est, quidquid bonas literas nimium hodie neglectas quodammodo possit iuvare.

Tu mihi perscribas velim, Vir Celeberrime, num forte in Bibliotheca Imperiali instructissimâ, sive in aliâ quadam Urbis libraria supellectile, inveniatur vetustus Codex, in quo contineatur Aetna incerti auctoris, quod poematium, post Jos. Scaligerum Cornelio Severo tributum, Lucilio Iuniori, ad quem Senecae epistolae exstant, vindicandum esse censuit C. Wernsdorfius, olim apud Helmstadienses Professor.

Vale, mihique fave. Dab. Francofurti XX. Febr. cIɔIɔcccXII.

à Monsieur

Monsieur Boissonade,

à

Paris.

rue Hauteville No. 35.